

Notariatsinstrument in welchem Nicolaus Rüttschelle von Graupen, Magister der freien Künste der Prager Diözese, gegen eine Entscheidung des Rektors der Universität, Johannes Hasenfeld, welcher ihn ohne rechtliche Ueberführung wegen einer an Jacob Müller von Graupen begangenen Verwundung ins Carzer geworfen, appellirt.

Erfurt, 1465 Oct. 10. 5

Hdschr.: Stadtbibliothek Leipzig Cod. mscpt. Rep. II. 10^a fol. 35.

In nomine domini. Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, indictione tredecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Pauli divina providentia pape 2ⁱ anno 2^o, die vero Iovis, decima mensis octobris, hora 3^{arum} vel quasi, Erfurdie Maguntinensis diocesis in domo habitationis mei 10 notarii infrascripti in nova civitate ibidem ad sellam discoloratam communiter nuncupata, inque testium et mei notarii publici subscriptorum presentia constitutus honorabilis vir dominus Nicolaus Rüttschelle de Graupen, artium liberalium magister Pragensis diocesis, habens et tenens in suis manibus quandam appellationis papiri cedula, appellationem infrascriptam sive provocationem in se continentem illam exhibendo interposuit, provo- 15 cavit apostolosque petiit testimoniales aliaque fecit, prout et quemadmodum in eadem sua exhibita et interposita appellatione dixit latius contineri, cuius tenor sequitur in hec verba: Cum sacrorum canonum instituta ad hoc salubre appellationis remedium instituerunt, ut eius presidio iniuste irrogata reparentur et nequam comminata declinentur, hinc est quod ego Nicolaus Ruschelle de Graupen, artium liberalium magister Pragensis diocesis, animo 20 et intentione appellandi et omnia id agenti incumbentia faciendi coram vobis notario publico et testibus hic astantibus et presentibus dico, protestor et propono quod quamquam ab uno, decem et viginti annis supra et ab eo tempore signanter quo ad annos discretionis perveni citra iactantiam loquendo fuerim hodieque sim bone conditionis, fame et vite laudabilium ac conversationis honeste, quantum humana permittit fragilitas, me 25 omnino abstinens ac pro tali et ut talis communiter habitus tentus et reputatus, propter id et absque eo quod unquam crimen maleficium, lesionem aut vulnerationem in aliquem commiserim aut perpetraverim propter que merito scandalisari, infamari et carceribus mancipari seu alias preter iuris ordinem in cautionibus superfluis prestandis molestari et aggravari demeruerim. Nihilominus tamen nuper quidam Iohannes Hasenfeld de Fran- 30 ckenfordis, assertus rector universitatis studii Lipczensis Merßeburgensis diocesis, me prout nondum decem diebus effluxis vaga devenit ad mei relationis notitiam, ad suam audientiam consistorialem citari fecit et contra me via inquisitionis nulla licet infamia legitima et vera precedente a quocunque etiam auctore suborta, ob quam mihi purgatio merito iudici debuerit nulloque iuris ordine servato procedens mihi non convicto nec con- 35 fesso neque vehementer ex verisimilibus coniecturis suspecto de et super certis lesionibus et vulneratione in quendam Iacobum Müller de Graupen, dicte universitatis Lipczensis studentem, ut asseritur, atrociter factis et perpetratis purgationem cum quatuor magistris